

seu a latere ad latus Altaris vadant. Tunc Thuriferarius sub thurificatione Missale ab Altari amovet; Celebrans autem incensatur a primo Assistente.

**III3.** Si neo-Sacerdos sacram administret Communionem, nemini permittatur ipsius osculari manum.

**III4.** Missas votivas, quae ei ab Episcopo iniunctae fuerunt in actu Ordinationis, scilicet de Spiritu sancto, de S. Maria et pro Defunctis, non potest dicere, nisi diebus quibus Missae votivae privatae permittuntur <sup>1</sup>.

**III5.** Nonnullis in locis seu regionibus, ante Missam novellam cantari solet Hymnus *Veni Creator* cum respectivis Versiculis et Oratione, et post Missam *Te Deum* similiter cum respectivis Versiculis et Oratione. Ubi talis mos viget, observari potest etiam a Nostratibus <sup>2</sup>.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 11 April. 1840, in Barchinonen., ad 5.

<sup>2</sup> Paulus Pp. V Bulla diei 23 Maii 1606, quae incipit *Romanus Pontifex*, tum Neo-Sacerdoti, tum Religiosis confessis et communicatis, qui primitiarum Sacrificio intersunt, plenarias concessit Indulgentias. Leo Pp. XIII Indulgentias plenarias etiam ad Celebrantis consanguineos ad tertium usque gradum inclusive extendit, qui, servatis servandis, primo eidem Sacrificio interfuerint; caeteris vero Christifidelibus adstantibus, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum concessit (S. Rit. C., ex Audientia Sanctissimi 18 Decemb. 1885).

## PARS QUARTA

### De cultu SS. Eucharistiae.

#### CAPUT I.

##### DE ASSERVATIONE SS. EUCHARISTIAE.

**III6.** SS<sup>ma</sup> Eucharistia perpetuo asservari debet in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, parochialibus et quasi-parochialibus, et in Ecclesiis Regularium, tum viro- rum, tum monialium <sup>1</sup>. In aliis vero Ecclesiis, Sacellis et Oratoriis, sive publicis sive privatis, asservari non potest absque speciali Indulto Sedis Apostolicae <sup>2</sup>.

**III7.** In Ecclesiis, ubi SS. Sacramentum Eucharistiae asservatur, quantum possibile, quotidie Missa est celebranda <sup>3</sup>.

**III8.** SS<sup>ma</sup> Eucharistia in uno tantum Ecclesiae Altari <sup>4</sup> servari debet in Tabernaculo clave obserato et Pyxide bene clausa. Coram Tabernaculo lampas semper ardeat. De his in sequentibus.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 25 Martii 1593, in una Bavariae.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 14 Iunii 1646.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 16 Martii 1833.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 16 Martii 1861, in una S. Iacobi de Chile, ad 13.

## § I. — De Tabernaculo.

**1119.** Tabernaculum, quod regulariter apud nos in Altari maiori collocari solet, debet esse quam nitidum, ornatum, eminens, conopeo ad instar tentorii decenter opertum quocumque tempore etiam quadragesimali <sup>1</sup>, cum parva Cruce in eius vertice, intus panno serico albi coloris, vel auro aut argento decenter contactum <sup>2</sup>: ita spatiosum, ut continere possit duas Pyxides cum capsula maioris Hostiae vel Ostensorio, et clave argentea aut auro vel argento obducta, iugiter obseratum, quae non in eius ostiolo vel in loco aperto relinquenda, nec Laicis dimittenda, sed a Sacrista custodienda est in Sacratio.

**1120.** Sit Tabernaculum Ecclesiarum nostrarum lapideum vel marmoreum <sup>3</sup>, licet non valde pretiosum, vel saltem ex ligno non vulgari affabre elaborato <sup>4</sup>, aliquo colore pulchre depictum.

**1121.** Conopeum, quo tegitur, potest esse ex gossypio, lino, lana, sive cannabe, sed summopere convenit, etiam iuxta Constitutiones nostras, ut sit ex materia aliqua pretiosa, uti ex panno serico vel argenteo etc. confectum <sup>5</sup>: et quidem debet esse coloris Officio congruentis, sin minus albi <sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Ritual. Rom.; et S. Rit. C. 21 Iulii 1855.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 7 Aug. 1871, in una Urgellen., ad 7.

<sup>3</sup> Tabernaculum lapideum vel marmoreum debet intrinsecus esse tabulis populeis vel cypressinis vel similibus circumamictum, quibus ab humiditate SS. Species defendatur.

<sup>4</sup> Ex concess. S. C. EE. et RR. 13 Iulii 1649: confirm. per Decr. S. Rit. C. 17 Decemb. 1888.

<sup>5</sup> Constit. Ord. c. VI, n. 7.

<sup>6</sup> S. Rit. C. 21 Iulii 1855, in Briocen.

**1122.** Indecens proinde omnino esset ac reprobandus usus adservandi ipsum SS. Sacramentum, licet ad paucos tantum dies, ratione alicuius Tridui aut Novendialis etc., in Tabernaculo ligneo ineleganti, nec deaurato vel saltem affabre depicto, in inferiori gradu Altaris minoris posito, et adeo parvo, ut vix vel ne vix quidem a Fidelibus conspiciatur, nisi per quoddam velum adeo exiguum talisque formae, ut miserationem potius moveat, quam devotionem excitet.

**1123.** Convenit, ut Tabernaculum ad asservendam SS. Eucharistiam benedicatur « Benedictione tabernaculi », ut in Rituali.

**1124.** In Tabernaculo nihil omnino, nisi vasa SS. Eucharistiam actu continentia vel nondum purificata, non vero vasa vacua, nec sacra Olea, neque multo minus sacrae Reliquiae servari debent.

**1125.** Ante illius ostiolum poni non possunt Reliquarium <sup>1</sup>, neque vas florum vel quid simile <sup>2</sup>, neque superimponi imagines aut Reliquiae Sanctorum, nec quidem Reliquiae SS. Crucis <sup>3</sup>, ita ut Tabernaculum eis pro basi inserviat. Contraria consuetudo, licet memorabilis, tanquam abusus est eliminanda.

**1126.** Supra Tabernaculum SS. Sacramenti, seu supra Ecclesiam vel Oratorium, in qua asservatur SS. Sacramentum, non construendum est cubiculum, in quo quis de nocte moretur <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 3 April. 1821.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 22 Ian. 1701.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 12 Martii 1836: et 6 Septemb. 1845.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 12 Martii 1836.

§ II. — *De Pyxide.*

**1127.** Pyxis debet esse ex solida decentique materia, intus deaurata, suo operculo bene clausa, et velo serico albi semper coloris, vel ex pretiosiori alia materia confecto cooperta.

**1128.** Quam maxime convenit, ut saltem cuppa sit argentea; ob paupertatem Ecclesiae tamen, aut periculum furum, ex stamno aut aurichalco <sup>†</sup> perpolito confici potest.

**1129.** Ostensorium, in quo SS. Sacramentum Fidelium adorationi exponitur, ab utraque parte, ante et retro, vitro seu crystallo munitum esse debet, ut sacra Hostia adorantibus exterius appareat.

**1130.** Pyxis et lunula cum Ostensorio non quidem ut Calices consecrari, sed ab Episcopo vel Sacerdote facultatem habente « Benedictione tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda, » ut in Rituali, benedici debent.

**1131.** Lunula, in qua inserta esse debet Hostia magna, argentea saltem sit et bene inaurata: et cum ex Ostensorio retrahitur, non aperta super merum Corporale in Tabernaculo deponenda, sed in aliqua solida pyxide seu capsula ad hunc usum confecta interius inaurata et bene clausa custodienda est.

**1132.** Vasa SS. Eucharistiam actu continentia attrectare non licet, nisi Sacerdoti aut Diacono, et quidem saltem superpelliceo et Stola induto et accensis duobus cereis. Pyxidi et Ostensorio aliisque vasis SS. Eucha-

<sup>†</sup> S. Rit. C. 31 Aug. 1867

ristiam continentibus semper et ubique, tum in Tabernaculo, tum alibi ubicumque collocentur, Corporale mundum, quantum licet per spatium extensum, aut palla substerni debet. Sed absonum omnino est et Rubricis contrarium, SS. Hostiis intra Ciborium sacculum lineum substernere, sicut etiam purificatorium ad nodum Pyxididis annectere.

**1133.** De corona Ciborii nec Rubricae nec Auctores liturgici ullam mentionem faciunt.

**1134.** Cum Sacerdos Hostiam consecratam attrectavit, quod non nisi pollice et indice facere debet, eos digitos non disiungit, nec eisdem aliud quid tangit, donec eos abluerit. Ideo iuxta Tabernaculum a latere Epistolae (non vero intra) adesse debet vasculum decens cum aqua nitida pro ablutione digitorum, quod identidem, aqua in Sacrarium proiecta, purificandum est. Prope illud vasculum servetur etiam purificatorium mundum ad extergendos digitos, quod frequenter mutari debet.

**1135.** Omnia ad SS. Sacramenti cultum ordinata, Tabernaculum, vasa sacra, Corporalia, purificatoria, etc. integra et munda esse et conservari debent, prout divinam Maiestatem in hoc Mysterio realiter praesentem decet.

**1136.** Ubi SS. Sacramentum e loco, in quo asservatur, ad alium (rationabili de causa) asportari contigerit, tum in Altari a quo dimovetur, tum in alio ad quod defertur, binae candelae accendantur. Duo praeibunt Ministri cum facibus, et alius cum umbella super SS. Sacramentum expansa a sinistris incedet Sacerdotis illud deferentis, qui superpelliceo ac Stola amictus, Velo

ab eius humero dependente Pyxidem obteget. In via Psalmi seu Hymni recitabuntur, et cum ad Altare ventum est, Sacerdos super illud sacram Pyxidem deponet, genuflectet ac Velum humerale dimittet; tum aperto Tabernaculi ostiolo sacram recondat Pyxidem, et repetita genuflexione ostiolum claudat. Qui intorticia gerunt, hoc tempore genuflexi hinc inde manebunt ante infimum Altaris gradum.

**1137.** Consuetudo autem asservandi SS. Sacramentum in duobus vel tribus Altaribus, et nonnunquam occasione Novendialis, aut alicuius festivitatis, transferendi etiam in aliud Altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur, ferri non potest <sup>1</sup>.

§ III. — *De lumine.*

**1138.** Coram Tabernaculo SS. Sacramenti diu noctuque perpetuo collucere debet lampas <sup>2</sup>. Culpabilis absentia huius luminis per tempus notabile, v. gr. integro die vel aliquot integris noctibus, esset peccatum mortale <sup>3</sup>. Superiori incumbit obligatio huic prospiciendi seu invigilandi.

**1139.** Oleum huius lampadis sit ex oliva factum, vel saltem, cum consensu tamen Episcopi, ex aliis vegetalibus; nunquam autem adhiberi potest petroleum neque gas <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 16 Martii 1861.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 22 Aug. 1699.

<sup>3</sup> S. Alph. Ligor.

<sup>4</sup> Ex variis S. Rit. C. Decretis.

CAPUT II.

DE CONSECRATIONE ET RENOVATIONE  
SS̄MI SACRAMENTI, ET DE PYXIDIS PURIFICATIONE.

§ I. — *De consecratione SS̄mi Sacramenti.*

**1140.** Particulae consecrandae et in Tabernaculo pro Communionem Fidelium asservandae, ante Missam in Pyxide (aut Calice) linteo cooperta super Altare ponendae sunt. Celebrans autem posteaquam Calicem in Altari praeparaverit, illum retro post Calicem statuatur <sup>1</sup>.

**1141.** Ad Offertorium operculum a Pyxide seu palla a Calice amovet, et hostiam Missae simul cum particulis consecrandis, quin tamen Pyxidem tangat aut elevet, eadem intentione offert. Postea Pyxidem operculo, seu Calicem palla cooperit.

**1142.** Celebrans priusquam dicat *Qui pridie quam pateretur*, Pyxidem noviter detegit, deinde accipit hostiam et super hanc et particulas verba consecrationis profert: quo facto et Hostia Missae elevata et super Corporale posita, genuflectit, ac Pyxidem cooperit <sup>2</sup>.

**1143.** Hausto SS̄mo Sanguine, ac deposito Calice palla cooperto super Corporale ad latus Evangelii, et Patena ante seipsum relictam, Pyxidem in Tabernaculo ponit, genuflectit, Tabernaculum claudit et Missam prosequitur more solito.

<sup>1</sup> Rubr. Missal. Rit. celebrandi Miss. t. II, n. 3.

<sup>2</sup> Ibid. t. VII, n. 3, t. VIII, n. 5 et 6.

**1144.** Si paucae particulae consecrandae sint pro Communionem Fidelium in Altari, ubi SS. Sacramentum non asservatur, et vas proprium non adsit, ponuntur usque ad Offertorium super Patenam, sed subtus hostiam maiorem; facto Offertorio, simul cum hostia maiori ac signo Crucis de more, eas super Corporale ante Calicem collocat Celebrans ac relinquit, mentaliter formans intentionem in actu consecrationis consecrandi illas cum hostia maiori. Sumpto pretiosissimo Sanguine, eas super Patenam colligit pro Communionem Fidelium.

**1145.** Caveat tamen Celebrans, ne in decursu Missae Manipulo aut manicis Albae has Particulas tangat, dispergat, aut etiam in terram proiciat; post Communionem Fidelium, magna diligentia fragmenta in Corporali colligit et more solito in Calicem iniicit <sup>1</sup>.

**1146.** Multae particulae nunquam super nudum Corporale, sed semper in Pyxide seu aliquo Calice aut vasculo ad hoc destinato consecrandae sunt.

**1147.** Particulae, quae post Fidelium Communionem supersunt, aut ab ipso Celebrante ante purificationem Calicis sumuntur, aut, si multae sint, super Corporali relinquuntur usque ad finem Missae, ac postea ad Tabernaculum transferuntur, quo in casu Missa continuatur servatis servandis, ut in Missa coram SS. Sacramento.

**1148.** Hostia pro Ostensorio in capsula aperta aut saltem in lunula posita super Corporale consecratur; non enim decet Hostiam in lunula adaptari post consecrationem.

<sup>1</sup> Rubr. Missal., De Ritu celebrandi Missam, t. X, n. 5.

§ II. — *De renovatione SS<sup>m</sup>i Sacramenti et de purificatione Pyxidis.*

**1149.** SS<sup>ma</sup> Eucharistia iuxta Rituale Romanum frequenter, iuxta Decretum Clementis VIII ad minus singulis quindenis, et iuxta Caeremoniale Episcoporum <sup>1</sup>, saltem semel in hebdomada mutanda et renovanda est. Quod praeceptum a S. C. Concilii et S. C. Rituum ut strictum et rigorosum declaratur <sup>2</sup>.

**1150.** Qui ultra mensem renovationem differunt, iuxta communem sententiam non sunt immunes a periculo gravis irreverentiae erga SS. Sacramentum, maxime quando Ecclesia est humida. Necesse tamen est, ut particulae consecrandae sint recentes <sup>3</sup>, ut periculum talis irreverentiae removeatur.

**1151.** Pyxis toties est purificanda, quoties renovantur SS. Particulae. Ratio est, ne fragmenta in Pyxide ad longius tempus remanentia corrumpantur.

**1152.** Nunquam Hostiae recenter consecratae cum veteribus misceantur, sed in alia Pyxide vel vase sunt conservandae: et veteres vel communicantibus primo distribuendae, vel a Sacerdote sumendae sunt <sup>4</sup>.

**1153.** Purificatio autem fit sequenti modo. Celebrans sumpto SS. Sanguine, Calicem palla contectum et Patenam aliquantulum ad cornu Evangelii, super Corporale tamen ponit; Pyxidem si sit in Tabernaculo, facta

<sup>1</sup> Caerem. Episc. l. I, c. 6, n. 2.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1850, in Parisien. ad 5.

<sup>3</sup> Ibid.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 3 Septemb. 1672.

more solito genuflexione, extrahit, super Corporale in medio deponit, operculum aufert, iterum genuflectit, et erectus seu potius parum inclinatus Particulas residuas sumit. Postea tenens Pyxidem ad nodum sinistra manu, pollice et indice dexteræ fragmenta diligenter colligit et in Calicem mittit; quo facto, parum vini in eam infundere facit, circumagit, totam illius partem interiorem, sine tamen multa gesticulatione, indice abluit, vinum in Calicem transfundit et cum purificatione Calicis sumit <sup>1</sup>. Denique Pyxidem purificatorio extergit, extra Corporale ponit, et Missam prosequitur.

### CAPUT III.

#### DE DISTRIBUTIONE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE EXTRA MISSAM.

**1154.** Sacerdos extra Missam Communionem daturus, lotis prius manibus et superpelliceo ac Stola coloris Officio illius diei convenientis indutus, ad Altare accedit, in quo duo cerei ardere debent, bursam cum Corporali ante pectus deferens <sup>2</sup>. Ibi post factam debitam genuflexionem, et Corporali extenso, collocat se in medio Altaris, donec Minister (qui convenienter cotta indutus esse potest iuxta locorum consuetudinem), a parte Epistolæ genuflexus, dicit voce intelligibili *Confiteor*.

<sup>1</sup> Hic modus purificandi Pyxidem magis securus et conveniens est, quam si sine infusione vini in eam fragmenta solis digitis colligerentur, cum quasi impossibile sit, etiam minima fragmenta videre et colligere.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 12 Martii 1836.

**1155.** Eodem tempore Sacerdos ostiolum Tabernaculi aperiens, genuflectit, extrahit Pyxidem eamque aperit, operculum super Corporale ponit, iterum genuflectit, et manibus iunctis ante pectus, et in cornu Evangelii versus ad communicandos dicit: *Misereatur et Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum*, etiamsi unus tantum communicetur, manu dextera faciens signum Crucis super communicantes. Minister manet inclinatus, donec responderit *Amen* post *Misereatur et Indulgentiam*.

**1156.** His absolutis, per eandem viam revertitur et reliqua distributionis SS. Eucharistiae, ut num. 1071 et seq. dictum est, perficit.

**1157.** Sacerdos advertat, ne praecipitanter sacram Eucharistiam distribuat: est enim Ministerium sanctissimum omni possibili attentione et devotione pertractandum; neve oculis per Ecclesiam vagetur, sed eos demissos et ad SS. Sacramentum intentos habeat.

**1158.** Advertat quoque, ne digitis inferioribus tangat faciem communicandorum: quapropter sub porrectione sacrae Hostiae eos inflectat, et quasi infra pollicem et indicem supponat.

**1159.** Si in eodem aut proximo Altari celebretur Missa, et SS. Sacramentum elevetur, ac contra ipsum transire debeat, non genuflectit, sed se vertit ad Altare, et erectus cum Pyxide in manibus tantisper subsistit, donec Elevatio sit peracta.

**1160.** Finita Communionem, Sacerdos ad Altare reversus Pyxidem super Corporale deponit, genuflectit, diligenter advertit, an aliquod fragmentum digitis adhaerit, et illud in Pyxide deponit, digitos, quibus tetigit